D
I
P
18

11178/P

D.I.P.

18

4665

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE FUNDAMENTO TOTIUS MEDICINÆ ANATOMIA.

QUAM

ANNUENTE DEO TER. OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. PETRI BURMANNI J. U. D.

HISTORIARUM, GRÆCÆ LINGUÆ, ELOQUENTIÆ ET HISTORIÆ FOEDERATI BELGII PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*, & *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico ac ſolemni Examini ſubjicit

FRANCISCUS ARDINOIS, *Muſcovienſis.*

Ad diem 27. Junii 1719. horâ locoque ſolitis.



Apud. VID. C. BOUTESTEYN. & FIL. Lugduni Batav. A°. 1718.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

INVICTISSIMO

ATQUE

SERENISSIMO DOMINO

CZAAR

ET

MAGNO DUCI

PETRO ALEXEOWITS,

TOTIUS MAGNÆ, PARVÆ ET ALBÆ RUSSIÆ AUTOCRATORI, MOSCOVIÆ, KIOVIÆ, WALDIMINIÆ, NOVOGORDIÆ CZAAR CASANI, CZAAR ASTRACHANI, CZAAR SIBIRIÆ, DOMINO PLESCOVIÆ, ET MAGNO DUCI SMOLENSCI, TUENIÆ, JUGURIÆ, TUARIÆ, INGOVIÆ, PERMIÆ, VIATIÆ, BOLGARIÆ ET ALCORICO, DOMINO ET MAGNO DUCI NOVOGARDIÆ, INFERIORIS TERRÆ TZERNIGOVIÆ, RESOUIÆ, ROSTORIÆ, JAROSLAVIÆ, BELOSTERIÆ, UDOVIÆ, OBDOVIÆ, CAUDINIÆ, NEC NON TOTIUS SEPTENTRIONALIS ORÆ IMPERATORI ET DOMINO IVERIENSIS TERRÆ, CARTALINENSIUM ET GRASINIENSIUM CZAARIUM, ET GABARDINIENSIS TERRÆ, CZERCASSOND AC MONTANORUM DUCUM, NEC NON ALIORUM MULTORUM DOMINORUM AC TERRÆ ORIENTALIUM PATERNO A VI USQUE HÆREDI, SUCCESSORI, DOMINO AC DOMINATORI. &c. &c. &c. &c.

OMNIUM,
QUAS UNQUAM HUMANUM
INGENIUM PROFERRE POTUIT,
ARTIUM ET SCIENTIARUM
VERARUM:
P R O M O T O R I
C L E M E N T I S S I M O.
I N D A G A T O R I
S I N C E R O.
OMNIBUSQUE TOTIUS TERRARUM
ORBIS
P R I N C I P I B U S,
NEC NON OMNIBUS EJUS
I N C O L I S
H I S C E
EXEMPLO PRÆLUCENTI &c. &c. &c.

Hoc inaugurale ſpecimen ſumma animi devotione ſacrum facere ſupplex conatur

SACRÆ EJUS MAJESTATIS

ſubjectiſſimus ſervus

FRANCISCUS ARDINOIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30366720

PROOEMIUM.

DE themate, quo more academico laudabili inaugurari ſolent gradum doctoratus adſpirantes, meditatus, ecce traduntur litteræ à Parente ad ultimum uſque halitum colendo, jubentes, loco hujus uſum ANATOMIÆ in exercenda medicina exponere. Diverſitatem vero & hujus rei amplitudinem paulo altius perpendens, ferè deſtituiſſem, veritus ne hic, aut, qui tantum in hac arte tiro ſum, ut exercitatus in paleſtram procederem, aut negotium quærerem in otio cum nullus ſanus Medicus certitudinem rei in dubium vocare poſſit. Ne interim & amoris & reverentiæ, quo conſequor Parentem innatus zelus, quid detrimenti capere videatur, age, accingor. Tu autem L. B. æquo animo percipias rogo:

Quid valeant humeri quid ferre recuſent.

Scitum ſane & jucundum imo perneceſſarium cuicumque artifici exiſtimo, ut ſuæ artis ſubjecti circa quod verſatur æque ſit eruditus ac ipſius methodi, quâ eam exercet; ſic enim præſentem laborem non ſolum non rite abſolvet, ſed etiam elegantiſſime prævidebit eventum ſuæ adhibendæ operæ; quod certe non injucundum eſſe poteſt. *Pertinet* enim ſecundum *Celſum* L. II. C. 17. *ad rem omnium proprietates noſce;* qui vir Sapientiſſimus & alibi ait: *utile eſt ſcire quid & quando maxime conveniat.* Ut: ſi v. g. ſttatuarius ex crudo adhuc lapide formaturus ſit, pone: ſtatuam Martis, & hic nunc optime noverit quas, & quomodo machinas appli-

plicet, ut hunc lapidem in hanc ſtatuam convertat; forte autem neſciat quid inter ſit & in marmorem ſculpere & incretam, nonne hic oleum & operam perdiderit, ſi eaſdem machinas, & his iterum eaſdem vires applicuerit cretæ, ut lapidi molliſſimo, quas applicaturus fuiſſet marmori ut duriſſimo? putem certe quod ſic.

Hic autem quis replicare poterit: hunc artificem brevi artis ſuæ uſu & experientia naturam horum lapidum poſſe edoceri, quod concedo, ſed tunc periculum faciendo hanc etiam edidicit. Sunt vero non nullæ artes multo nobiliores, in quibus pericula facere grave imo exitioſum eſt, quas inter ut inter viburna cupreſſus caput extollit Medicina; quæ ſane non circa lapideas, non æneas, non argenteas, non aureas verſatur ſtatuas, ſed unica & nullo pretio æſtimanda & anima, & corpore vivo prædita ſtatua, quam vocamus humanum corpus; ſi forte hoc à morborum quodam quos cum peccatis ſibi contraxit, ſit liberaturus Medicus, ejuſque autem ſtructuræ & fabricæ ignarus, illud, nunc hoc, nunc alio ſollicitaret medicamento, non præviſo & forte inevitabili tunc irrito eventu, nonne hic ejus vitam illuſerit? ſeque pœnarum à Conditore maximo homicidis dictarum reum fecerit? Itaque veriſſimum eſt proverbium: quod *remedia ſine methodo & theoria ſint ut venena in puerorum manibus.*

His autem in tenebris primam hallucinaſſe medicinam, eheu! fateri debemus; quippe quæ initio ex nuda conſtabat quorundam medicamentorum cognitione; & horreo certe mecum revolvens, quot non debuerint tunc temporis Medici interfeciſſe homines antequam unius ſympthomatis, aut unius morbi veram ſibi potuerint acquirere cognitionem, taceo, certam curam. Rem autem quandoque votis reſpondiſſe negari quidem non

non poteſt, verum tunc etiam ſoli caſui fortuito debuere omnem ſuam ſcientiam.

Mirum itaque non eſt quare ars hæc, in ſuo genere facile nobiliſſima, tot tamque varia vata ſubire debuerit, mox enim Medicus ad cœlum uſque extollebatur ab hominibus, ſic notiſſimum eſt Æſculapium & Apollinem quia paulo ſubtilius hanc artem excoluere, teſte C: *Celſo* in præfatione Medicos & inter Deorum numerum elatos fuiſſe, perinde ac *Pœon* ab Homero non hominum tantum vulnera, ſed & Deorum curaſſe perhibetur. Vid: *Hom*: *Iliad*: E. verſ: 401. 900. Mox iterum hunc in imum detruſum experimur, ut etiam ad ſervilia miniſteria, juxta quorundam ſententiam adhibitus fuerit. vid: *Gruter*: p. 635. hæc autem ex nulla alia re poterat oriri diverſitas, quam quod ſuæ artis non bene periti Medici nunc caſu aliquod curaverint in humano corpore malum; & ſic à populo habebantur magni; nunc iterum irrito effectu quid tentaverint, præprimis illi quibus hæc ars non erat gentilitia æque ac Apollini & Æſculapio fuit, & tunc vili pendebantur. hinc cogebantur ſaniores mente facti populi modo hoc modo aliud excogitare medium, quo huic arti certi quid generetur, imponendo ſcil: illorum ægros in trivia, obſtringendo prætergrediuntes horum morbum inquerere, remedium, quo ſe forte ab eodem liberaverant aperire, hæc ſacerdotes colligendo, templorum parietibus affigendo, & quum horum obſervatio non unius nec paucorum hominum opus eſſe perhibebant, cuique morbo ſingularem medicum præponendo; bonæ arti, tot Medicorum obſervationibus, tot ægrorum periculo, tandem aliquod accrevit augmentum, verum quam debili fundamento ſuffultum, quiſque hujus ſeculi Medicus facile videt.

Dum autem Sacerdotes occaſione extiſpiciorum cepe-

re analogiam formare viſcera beſtiarum inter & hominum, quod jure merito primum *Anatomes* initium vocare licebit; Eſt enim *Anatomia ars & ſcientia quæ ſtructuram & connexionem partium humani corporis earumque artificioſas diſſectiones docet.* ex ἀνατεμνῶ *diſſeco.* Tunc demum ars medica aliam accipiebat faciem; exoriebatur enim non multo poſt in Inſula *Cos* maximum illud medicinæ ſidus omniumque Medicorum facile Princeps HIPPOCRATES ex ipſius *Æſculapii* familia deſcendens, prædictorum omnium ſummopere eruditus, caſtamque Phyloſophiam à *Democrito Abderitano* edoctus; qui ſparſam hinc inde Medicinam collegit, in formam diſciplinæ redegit, & omnibus omnium ſeculorum medicis, hoc, quod nunc adhuc inter eorum manus floret, reliquit opus dogmaticum, ſtupenda eruditione & concinnitate conſcriptum, næ non ſine ſcientia Anatomica, licet non perfectiſſima, ut fere ex omnibus ſancti hujus voluminis patet plagulis. Hoc ut eo melius innoteſcat, placet uno vel alio aurei hujus libri loco evincere: Videatur enim ejus *tract.* de *priſca medicina* ubi loquitur de effectu quorundam medicamentorum in humanum corpus, dicens: *qui igitur hæc ſingula quemadmodum ſe ad hominem habeant, ignorat, is neque, quæ ab iis proveniunt cognoſcet, neque iis recte uti poterit, at vero mihi etiam cognoſcendæ actiones videntur, quæ homini tum à facultatibus tum à figuris proveniunt.* Et porro, vocabulum de *figuris*, explicans, proſequitur; *quædam enim cava ſunt ex latitudine in anguſtum coacta, quædam etiam expaſſa, alia ſolida, & rotunda, alia lata & pendentia, alia diſtenta, alia longa, alia denſa, alia rara & florida, alia vero ſpongioſa & laxa.*

Putem venerandum hunc virum ſenem hic perfecte

loqui

2007

loqui de arteriis, venis, oſſibus eorumque figuris, membranis, muſculis eorumque coloribus &c. & quis carnem, quis glandulas, oſſa, imo etiam ipſum cor tam concinne conſcripſerit earumque partium uſum tradiderit, ac noſter fecit, niſi qui ipſe eas cum attentione perluſtraverit? & quid mirum Divum *Hippocratem Anatomen* calluiſſe, cum fuerit Diſcipulus ipſius *Democriti*; hunc autem propria manu animalia in uſus medicos deſecuiſſe, patet clariſſime ex Epiſtola *Democriti* ad *Hipp*: de *natura humana*, ubi vere omnes humani corporis partes earumque ſitum exhibet. Et iterum ex Epiſtola *Hippocratis* ad *Damachetum*, ubi *Hipp:* recenſet, quomodo deprehenderit *Democritum* ſolum in ſolo loco ſedentem, meditantem, ſcribentem, circum circa ſe cadavera jacentia habentem, ubi huic infit: *Democritus quæ vides animantia hujus certe rei cauſa reſeco* (de inſania loquitur) *minime Dei opera odio proſequens, ſed bilis naturam & ſedem inquirens.* & *Celſus* in proemio de *Hippocrate* & *Eriſiſtrato* teſtatur: *non credo Hippocratem & Eriſiſtratum & quicunque alii contentos febres & ulcera agitare, verum quoque naturam ex aliqua parte ſcrutati ſunt.* Num autem Hipp: propria manu cadavera diſſecuerit, mihi ex ejus operibus nondum conſtitit.

Verum optimus ejus interpres, ſed ut videtur Philoſophiæ Platonicæ plus ſatis indulgens CLAUDIUS GALENUS orbi Anatomico majorem reliquit memoriam ſui, licet non nulli perhibeant ipſum præter beſtiarum & ad ſummum ſimiarum, utpote ſtaturæ humanæ inter omnia alia animalia maxime convenientium, nulla diſſecaſſe cadavera; interim ejus quæ extant opera, ſatis nos docent de re Anatomica & vix credibile eſt, eruditum hunc virum in omnibus ſolis conjecturis Medicinam

exercuiſſe, quum ipſe fateatur lib: IV. Epedem: conjecturas artifiniſas fallere. Porro refert *Tertulianus* de *Herophylo* quod ſexcentos exſecuerit ut naturam ſcrutaretur, de quo etiam teſtatur C: *Celſus*, dicens: longe optime feciſſe *Herophylum* & *Eryſiſtratum* qui nocentes homines à Regibus ex carcere exemptos vivos inciderint. Sunt quoque qui ex *Fulgentii Planciadis lib*: I: *Mythol*: probare putant; Alexandriæ olim penè plura Anatomicæ diſſectionis loca inventa fuiſſe quam habitacula civium.

Sicut Anatomica ars antiquitate clara, ita etiam & dignitate non inferior eſt, dicitur enim de *Athoti*, I. II. Rege primæ Dinaſtiæ Tinitarum in Ægypto Medicinæ peritiſſimum fuiſſe & non erubuiſſe de Anatomia libros conſcribere. Et *Amm*: *Marcellinus* lib: XXII. ait: de *Juliano* cum *feſtinabat præſcire accedentium finem, reſponſis ambiguis & obſcuris hærebat futurorum incertus, ejus tamen aruſpicinæ peritus Aprunculus, Gallus orator, promotus Rector, poſtea varios nunciavit eventus inſpectu jecoris*, (ut ajebat ipſe) *prædoctus, quod operimento duplici viderat tectum.* Quod hominum genus tunc temporis certe non parvi habebatur. Idem ſub fine hujus capitis ait de ſcola Alexandrina: *Medicinæ ita ſtudia augentur in dies, ut licet opus ipſum redoleat, pro omni tamen experimento ſufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem ſi Alexandriæ ſe diceret eruditum.* Nullam aliam ſane ob cauſam tanti progreſſus ibi facti ſunt, quam quod tanto celo ars Anatomica ibi celebrata fuerit, ut patet ex verbis: *licet opus ipſum redoleat;* quodque convenire poteſt cum eo ex Fulgentio Planciade. Imo teſte *Plinio*: Ægyptiorum regibus erat mos mortuorum corpora ſcrutari & cauſas valetudinum oculata fide cognoſcere.

Quid

290

Quid quod ad hoc uſque tempus Reges & Principes Theatra Anatomica erigere curent, ſummoque ſtudio in hac arte exercitatos viros iis præponant, qua cura omnium maxime excellet, ille ſereniſſimus ac potentiſſimus, Cui ſacra facta hæc deſertatio eſt, Magnus *Ruſſorum* IMPERATOR, tot tantarumque Regionum Dominus ac Dominator; Cujus venerabile nomen hic loci repetendo abuti prohibet Sacra Ejus Majeſtas. hosque ſplendidiſſimis ſtipendiis & honoribus condecorent; quibus ſingulari ſub gratia tutiſſimiſque ſub alis ſacræ modo nominatæ Majeſtatis feliciſſime fruitur ab ejus Sereniſſimo corpore Archiater honoratiſſimus, Theatri ab Illo exſtructi anatomici Profeſſor Clariſſimus, & omnium quæ Moſcoviæ ſunt Noſocomiorum præpoſitus Medicus doctiſſimus, Pater meus omni filiali amore proſequendus. vel ſaltem ſub ſuis auſpiciis libere exercere ſinant cadaverum humanorum diſſectiones, amota omni ſuperſtitione vulgi; & ſane non ſine maximo ſuorum regnorum, imo totius orbis, imprimis medici fructu, cujus filii etiam non deſinent hæc ſuæ artis tanta beneficia indefatigabili gratia & reverentia animo revolvere.

Recenſendi adhuc erunt, quanta brevitate poteſt, auctores quidam Anatomici veteres, qui ſcriptis ſuis ampliſſimis orbem medicum ſibi devinxere, ipſam Medicinam augendo quos inter ſeſe offert *Ruffus Epheſius* libro quodam *de corporis humani partium appellationibus*. quem, & quidem toto ſeculo interjecto, excipit *Oribaſius* in *collectaniis ſuis artis medicæ*, ſectionem totius humani corporis conſcribens; hunc ſequitur *Theophylus Protoſparius*: poſt hos de rebus Anatomicis multa ſecula tacuere, donec inter latinos tandem prodiit *Mundinus, interiores humani corporis partes* exponens. tandem, ſed iterum aliquot ſecula poſt, anno nimirum 1522 ſurrexit *Jacobus Carpus*

lector in Academia Ticienſi, *Iſachogen corporis humani* edens; hunc ſtatim varii in variis Europæ finibus excipiebant viri Anatomiæ inſignes, ut in Italia: *R. Columbus, Conſt: Varrolius, J: Valverda. Bart: Euſtachius. C: Aurantius. G: Fallopius. J: Caſſerius. Fabricius ab Aquapendente.* in Gallia: *A: Laurentius. J: Sylvius. Riolanus*, in Germania. *A. Veſalius. F: Platerus. C: Bauhinus.* Clariſſimorum horum virorum ſcripta felices adhuc inter Medicorum teruntur manus, & partim haud magni æſtimantur, partim autem ſummo ſtudio venerantur; omnes interim ineffabiles uſus orbi medico attuliſſe cuicunque ſincero facile patebit Medico. glaciem enim fregere, multa incondita & ſuperſtitioſa expunxere, pericula varia ſubmovere &c: Interim tamen non defuere ſatis emunctæ naris viri, audacia & eruditione pollentes, ſuis interim quiſque opinionibus & affectibus ſepultus, qui hanc artem ut ſuper vacaniam ex Medicina proſcribere tentaverant, ſed ſumma cum ignominia; alius enim unico ſpecifico medicamento vitam hominum in annos Methuſales protrahi poſſe ſibi perſuadebat, & tale poſſidere gloriabatur. Alius iterum, neſcio quid, & ſibi ipſi inexplicabile in humoribus corporis humani deprehendiſſe ſomniabat, ut, Gas, Blas, Dulech, Archæus, &c. quos terminos hoſtes in ſanguine & omnium morborum cauſas finxerat, & tandem univerſali ſpecifico hos debellare ſibi imaginabatur. Quæ doctrina ut ſatis levis & ridiculoſa, multas tamen ſibi peperit aſſeclas, quos interim omnes unica delevit *ſanguinis circulatio*, cujus inventionis gloria jure merito ſuperbitur immotale nomen HARVÆI, de quo tamen poſtea.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE FUNDAMENTO TOTIUS MEDICINÆ ANATOMIA.

CAPUT. PRIMUM.

Quam arcte ANATOMIA *conjuncta ſit cum* Phyſiologia.

§. 1. Phyſiologia ſive doctrina de partium uſu, eſt illa Artis medicæ ſcientia, quæ explicat partium humani corporis fabricam, earumque actiones ſitum & uſum. à Φύσις natura & λέγῶ dico, ſive recenſeo, quaſi naturæ recenſionem dixeris. Et quoniam hæc Medico primo innoteſcat neceſſe eſt antequam ullum morbum cognoſcere & curare poſſit, ideoque primum locum jure merito occupare videtur.

§. 2. Tædet certe hic omnia recenſere quæ Anatomes huic medicinæ parti explicandæ præſtat auxilia, quippe quæ tanta quanta eſt fere nil niſi Anatomia eſt.

Ne autem videar penitus obticere, primarias actiones, & quidem ad vitam ejusque perennitatem neceſſarias recenſendo, neceſſitatem & utilitatem diſſectionum Anatomicarum in ipſa hac ſcientia, quanta brevitate poſſum, demonſtrabo.

§. 3. Putem etenim non ſufficere, inprimis Medico, ſcire, hominem habere Cor, Pulmones, Ventriculum, Cerebrum, Caput &c: verum etiam requiri ut perfectam habeat notitiam, quo-

quomodo hæ partes fabrefactæ & conjunctæ ſint, & quid faciant ut perennet vita. Hoc autem rite præſtare quis unquam potuit antequam felix Brittannia nobis expromſerit illuſtrem memoratum GUIL: HARVÆUM, qui operoſiſſimis diſſectionibus cadaverum indefeſſus, non deſtitit, donec orbem medicum ſibi obſtrinxerit, clariſſime demonſtrando: omnem totius corporis ſanguinem à vena ſic dicta cava infundi auriculæ cordis dextræ, ex hac, ejuſdem thalamo dextro; hunc iterum rubrum & homogeneum illum liquorem exprimere in arteriam pulmonalem; hanc, pulmonibus ulteriori præparationi commitere; hos illum ope ſuarum venarum per Anaſthomoſes arteriarum finibus junctarum colligere uſque ad quatuor notabilis truncos venoſos, hos, auriculæ ſiniſtræ; hæ, cordis thalamo ejuſdem lateris; hunc, molendini ad inſtar ſanguinem rurſus exprimere in arteriam vocatam aortam; hanc, in infinitos ramos deſtributam ipſum propellere ad omnia corporis puncta; hos quibuſdam ſuis finibus æque ac in pulmonibus per anaſthomoſes venarum initiis eſſe conjunctos; hæc ſanguinem recipere, in majores atque majores venas colligere, donec tandem in vena cava iterum conveniat, & ipsâ hac antiquo loco, nempe auriculæ & cordi dextris infundatur: huncque circulum, manente vita, perennare & contra.

§. 4. Illud ipſum autem ſola Cordis, Arteriarum & Pulmonum fieri actione quis conceperit niſi qui prius admiratus fuerit dexteritatem Anatomicam R: *Lauweri* abſolutam cordis fabricam exhibens, perfectumque hoc muſculum eſſe demonſtrans; & illam illuſtriſſimi M: *Malphigii* veſiculoſam pulmonum ſubſtantiam, ab elaſticis eorum bronchiorum cartilaginibus, & illis interpoſita membrana muſculoſa provenientem, exhibens; hoſque folliculos ſeu has veſiculas ab aëre per Glottidem & Aſperam Arteriam illabente expanſas, pulmonum ſubſtantiam thoracis cavum perfecte replentem, adjuvantibus muſculis intercoſtalibus, coſtas ſurſum attolere, thoracem ampliare; ſegmenta cartilaginea elaſtica, quibus coſtæ ſterno annectuntur hoc motu peracto ſeſe reſtituere; hæc vero in hac ſua reſtitutione à quibuſdam fibris muſcularibus ab interna ſuperficie oſſis ſterni oriundis, adjuvari, accurate ſatis demonſtrat *Geodefr: Bidlo* famoſiſ-

ſima

ſima in hac Academia Anatomiæ *Profeſſor Clariſſimus* in edita ſua *Antomia corporis humani*. Sicque thoracem coarctari, pulmones deprimi, aeremque ex folliculis expelli; & hoc motu reciproco ſanguinem in pulmonibus conquaſſari, compingi, magis magiſque rectificari, & trajici in cor ſiniſtrum. &c:

§. 5. Motus hujus muſcularis originem capiet ſolummodo ille qui ſumma induſtriâ cum *Williſio Wieuſenſio*, & *Euſtachio* perſcrutaverit: ex Cerebro, Cerebello & Medullâ Spinali progredi filamenta alba, rotunda, fortia, nervorum nomine venientia, hæc diſtribui ad omnia muſculorum, membranarum ligamentorum &c: puncta, & conſequenter etiam ad hæc ſanguificationis organa. Et porro ex *Malphigio* didicerit: hoc cerebrum ex meris conſtare glandulis, has ex liquore à ſanguinie per quatuor notabiles arterias ab aorta ortas, ad cerebrum & cerebellum advecto, diſtributo, ſecernere liquidum tenuiſſimum quod concipi poteſt, & propter ſubtilitatem ſuam ſpirituum nomine veniens; hoc à filamentis dictis recipi omnibuſque corporis punctis ad quæ ipſa pertingunt, communicari. Hunc Spiritum & ipſum Sanguinem omnium muſculorum & arteriarum motum perficere ad unguem demonſtrat incomparabilis ille naturæ ſcrutator HERM: BOERHAVE Præceptor noſter non Satis celebrandus, Inſtitutionum ſuarum Medicarum *tractatu* de *Motu Muſculorum*. Hasque actiones tam dormiente quam vigilante homine, menteque non advertente, procedere, ut cuicumque obſervanti notum, probatione non indiget. Et ſic vidimus hominem vivum & reſpirantem ſolo cultello Anatomico demonſtratum.

§. 6. Sed qualem? forte tantum per aliquot dies imo horas perſtantem, obſervatum enim eſt à Philoſophis, hunc omni momento in omnibus ſuis partibus deteri & conſumi, hinc non potuere non quin judicarent huic etiam continuo aliquid apponendum eſſe & quidem tantum quantum detritum ſit, ſi vita manere debeat, & credo in hunc uſque diem ratiocinati fuiſſent, & neſcio quot minus intelligibiles rationes non produxiſſent, antequam ſe inde exſolviſſent; quod autem nunc unico intuitu & facili negotio facit Anatomes peritus, quando obſervat: 1°. Maxillam inferiorem, ope duorum muſculo-

rum digaſtricorum deprimi, & quatuor muſculis ad ſuperiorem iterum adprimi, & in omnem ſenſum moveri ſupra duos clynoïdes proceſſus interpoſita lamella cartilaginea, ut miro & jucundo ſatis ſpectaculo demonſtrat Celeberrimus & in arte Anatomica exercitatiſſimus Profeſſ: JOH: JAC: RAUIUS Præceptor noſter non ſatis admirandus, diligendus; hujus maxillæ motu vario cibos intra dentes diffringi, commoliri. & 2°. Admiſto aëre & ſalivâ, à glandulis, per ductus ſalivales à *Warthono* uno & *Stenone* altero inventos, in os ſecretâ, ad gulam ope linguæ protrudi, & muſculis OEſophagi adjuuantibus deglutiri, & ventriculo immitti. Ibi 3°. ope ſingularis hujus ventriculi ſtructuræ, fibrarum tranſverſalium, ſpiralium, & longitudinalium; partiumque circumjacentium, ut Hepatis, Lienis, Pancreatis, ictibus & calore, ut & diaphragmatis & muſculorum abdominalium motu conteri, conquaſſari, foveri & admiſto ſucco gaſtrico ex glandulis ejuſdem ſecreto, dilui. 4°. Inteſtino duodeno, per pylorum ad ulteriorem præparationem committi; in hunc finem huic tunc chilo hic loci admiſceri per ductum pancreaticum à *Wirſungio* detectum, ſuccum in pancreate præparatum. Ut accurate ſatis demonſtrat perilluſtris *Brunnerus*.

Præterque hunc ipſi adhuc aſſociari per ductum ſic dictum communem, ſuccum amarum, duplici natura præditum, duplicique loco ortum; altera quippe parte ex glanduloſa ſubſtantia hepatis, demonſtrante *Glyſſonio*, altera vero, & quidem ea quæ ipſi amaritudinem conciliat, ex veſicula ſic dicta fellea, puta ex glandulis inter ejuſdem membranas diſperſis; docente Præclariſſimo & Exellentiſſimo Prof: BERNH: ALBINO Præceptore noſtro ſingulari reverentia & amore proſequendo; Bilis vocatum. Et ſic 5°. chili hujus diluti, intime miſti, partem ſubtiliorem abſorberi ab oſculis per totum inteſtinorum tractum diſperſis, vaſorum lacteorum, ab Illuſtri *Aſello* demonſtratorum; hæc vaſa terminari in glandulas, ibique chylo admiſceri pro majori adhuc dilutione Lympham, ut mirabiliter ſatis oſtendit Clariſſ: *Nuckius*. Hæc vaſa lactea ex glandula in glandulam ſemper majora facta, tandem 6°. in unam magnam glandulam, *Aſelli* Pancreas dictam determinari. Ex hac 7°. in ductum Pequetianum in ſiniſtro Thoracis latere prope arteriam aortam laten-

latentem, multiſque valvulis præditum & ſurſum adſcendentem, protrudi. Hunc 8°. hoc lac venæ ſubclaviæ ejuſdem lateris infundere. Hanc 9°. ipſum illud determinare in venam cavam. 10°. Hanc, in auriculam cordis dextram; hanc, in cor dextrum, & tunc eundem §. 3°. cum ſanguine mixtum abſolvens circulum, in quibuſdam arteriarum finibus ab eo ſecedere ſubtiliſſimum, inſulſum, inodorum, liquidum, Succus nutrititius vocatum; quod præciſe eadem copia ultimis fibris ſolidis aſſociatur, & per vim vitæ agglutinatur, quam conſumptum fuerat.

§. 7. Quod ultimum præcario ex Chemicis aſſumimus, & ex Philoſophycis ſuppponimus, reliquum vero per ſolam Anatomiam & nullo alio modo demonſtrari debere & poſſe deprehendimus. Sicque putem ſtitiſſe hominem vivum, ſanum, reſpirantem, nutrientem, perſtantem. reliquas actiones, ut quidem non ad vitam, ad humanitatem tamen æque neceſſarias tranſgredere, ſicut & recenſitas volitante tantum calamo attingere, juſſit propoſita brevitas. Sufficiat utriſque Anatomes ope cognitis, ambas haud magno labore percipi poſſe. Videndum autem an Medicus illarum læſiones ſine cognitione Anatomiæ rite cognoſcere poſſit.

CAPUT. SECUNDUM.

De neceſſitate ANATOMIÆ *ad* Pathologiam.

§. 1. Quando actiones recenſitæ vel ſimiles, vel aliqua earundem ſecundum leges mechnicas à ſapientiſſimo conditore inditas non rite, i. e. æquabiliter, facile & ſine dolore in corpore humano peraguntur, tunc ille earum ſtatus vocatur Morbus. Quem cujuſque cauſas, differentias, & effecta noſce à Medicis ad ſingularem ſcientiam redactum eſt, quæ vocatur Pathologia ex πάτος affectus & λέγω dico ſeu narro, quaſi affectuum enarrationem dixerint.

§. 2. Hanc vero ſine cognitione Anatomica neç doceri nec percipi poſſe patebit conſideranti: Medicum tantum circa ea

hominis, ut amina & corpore conſtantis, verſari affecta, quæ fiunt in ejus corpore, corpus vero conſtare ex ſolidis & fluidis, fluida non affici quin per hæc afficiantur & ſolida, & vice verſa; ſed ſolida non poſſe affici quin afficiantur & nervi, utpote omnium ſolidorum origo, quibus affectis non poſſe non quin ille effectus communicetur ſenſorio communi, utpote quod omnes hi iterum pro ſuo agnoſcunt origine; ſicque in illo Ideam excitari doloris, qui omnium morborum infallibilis eſt nuntius & ab illis inſeparabilis. atqui ſolida ſana non poterant cognoſci ſine Anatome, ut capite præcedente viſum eſt, ergo nec morboſa; morbos enim immediate ab anima provenientes non Medico ſed Rethori aut Moraliſtæ ſubjectos eſſe puto; quorum autem pauci vel nulli deprehenduntur, vel ſi qui ſunt, eos non poſſe cognoſci niſi effectu edito in corpore, ſi forte unam Melancholiæ ſpeciem exceperis, puta illam quæ oritur ab imaginatione quadam abſurda alicujus rei cæteroquin ſatis bene compoſitæ; V: G: imaginatur ſibi quis ſatis ſanus: habere caput amputatum, cujus *Foreſtus Lib*: x. *obſervat*. 12. exemplum habet; hic homo dicetur delirare & morbus ejus vocabitur Melancholia, hic Medicus faciet quodcunque velit, mittat ſanguinem, purget, excitet ſudorem, nihilominus curabit, h. e. ſuperabit illam ideam amputati capitis; Moraliſta autem ſumit pileum plumbeum illudque imponit cum violentia in caput delirantis, & ea ipſa idea doloris quem tunc ſentit in capite, ſuperat illam amputati capitis; & ecce ſanus eſt homo. & hic adhuc diſputandum eſſet num hoc phyſice an moraliter curatum ſignificari poterit.

Alter atrabiliari diatheſi cruciatus ſe affirmat mortuum eſſe, ut idem *Foreſtus* eadem obſervatione perhibet, & hic idem dicitur delirare & Melancholia laborare, hoc in caſu nunc & Moraliſta omnia incaſſum tentabit ut in priori faciebat Medicus; hic vero convenientibus remediis excitat hæmorrhoïdum profluvium, quo atrabiliaris humor ſive ſanguis educitur, obſtructio in hypochondriis tollitur, cerebrum ſanguine ſuperfluo liberatur, compreſſio ſenſori communis evanneſcit, fit iterum ſpirituum æqualis influxus in nervos, & hic idem ac prior evadit ſanus homo.

§. 3. Quis

§. 3. Quis vero hujus morbi dederit veram ethiologiam niſi qui per *Anatomen* ſciverit, quid ſint hypochondria, eaque, vel potius viſcera in illis recondita, præ reliquis corporis regionibus eſſe aptiſſima ut in illis ſtagnet craſſus & ater ſanguis veteribus Atrabilis vocatus, quippe qui ex aorta per arteriam cœliacam & meſentericam oblique ad omnia abdominis viſcera determinatus, multum ſui à corde impreſſi motus amittere debuit, & poſtquam multas & magnas ſecretiones perpeſſus & conſequenter craſſior factus fuit, per venas lente revehitur ad magnum quoddam vas ſive receptaculum Vena Portarum dictum; ex hac ſine notabili motu addito reaffunditur hepati, iterum circulum arterioſum in illo ſubiturus. quæ anathomica contemplatio ſola docet: ſanguinem hic locorum, vel in viſceribus ut Liene, Pancreate, Omento &c: vel venis ex illis egredientibus, vel in ipſa vena portæ facile poſſe, à motu, calore, quiete, mentis exagitatione liquidiſſimum amittere, craſſum, atrum, piceum, tenacem, terreſtrem evadere; & hunc multoſque alios affectus graviſſimos producere aptum naſci. Surſum enim latus verſus cerebrum, hoc comprimit, quo ſenſorium commune irrigulariter mutatur & ſic inconditarum idearum cauſa oritur.

§. 4. Quod ſic dictum de Melancholia eſt, facile applicueris ad omnes morbos ſoporoſos & ſpaſmodicos, quippe qui pro ſua cauſa proxima plerumque cerebrum vel cerebellum vel meninges male affecta habent; ut eſt Coma, Letargus, Paralyſis, Apoplexia, Suffocatio uteri &c:

§. 5. Et ſic proſequere omnes omnino noſtri corporis morbos notos, & invenies ſemper cauſam phyſicam proximam vel ipſum morbum in ſolidis, ſive ad minimum hæc ſemper ſimul affecta, ne febribus quidem una cum omnibus ſymptomatibus exceptis; præſupponit enim febris ſemper pro cauſa phyſica vel ſtimulum in fibris ſolidis, vel obſtructionem in capillaribus vaſis. Quis autem ſibi formaverit ideam hujus ſtimuli, niſi qui noverit fibras, ut nervorum propagines hunc ſtimulum determinare ad ſenſorium commune, hoc, pro modo quo afficitur ſecernere plus ſpirituum in quoſdam nervos V: G: in *par vagum* ad cor quibuſdam fibris excurrens, hos ſpiritus tunc hujus cordis motum augere, hoc ſanguinem citius exprimere, propellere, pul-

ſumque majorem facere; quem unicum & pathognomicum ſignum omnium febrium agnoſcimus cum memorato Clariſſimo Prof: & Præceptore noſtro H: BOERHAVE.

§. 6. Obſtructionem in minimis ſine Anatomia concipere par reſtat difficultas; nam qui neſcit arteriam ſemper tendere ex lato in anguſtum; hanc, in adio minutos ramos diſtribui qui rubrum ſanguinem amplius ferre renuant ſed ſolummodo ſerum recipiant; hos iterum adeo minutos fieri ut lympham tantum admittant; hos à frigore vel acredine quadam facile conſtringi, vel aliqua pituita obſtrui poſſe; hiſque obſtructis, ſanguinis copiâ eadem manente, in maximis vaſis motum debere augeri, ſanguinem eo citius ad cor deferri, & ſic idem ſignum pathognomicum, puta, pulſum majorem nobis exhibere.

§. 7. Huc iterum facile Anatomicus omnes reducet morbos acutos inflammatorios i. e. illos qui cito & cum præſenti periculo vitæ oriuntur, & decurrunt, ſive oriantur à veneno ſive à miaſmate quodam venenato, ſive alia quadam acredine inflammatoria; præſupponunt enim ſemper inflammationem, ſtimulum, vel obſtructionem, & hæc ſemper ſunt cauſa febris ut §. 5. & 6.

§. 8. His recte perpenſis de morbis chronicis nullum reſtabit dubium, quin ipſi eorumque cauſæ & differentiæ per ſolam Anatomen cognoſcantur; differunt enim ab acutis tantum in eo, quod non tam ſubito invadant, neque tam ſubitaneo & præſenti vitæ periculo ægrum exponant; habent enim ſemper pro ſua cauſa phyſica vel vitium relictum à morbis acutis, vel vitium liquidorum ſenſim & paulatim natum, utrumque ſolida afficiens & deſtruens, motum enim eorum augent vel imminuunt nimium. 1°. *Vitium relictum a morbis acutis*; quando illi non debito modo ad reſolutionem reducti ſunt, i. e. quando materies inflammatoriâ vi vitæ per criſin non ejecta, nec ſanguis ſuo circulo reſtitutus ſit; ſed acrior facta, ſolida corrodat, hæc ſecum permiſceat, pus faciat, cavum aliquod formet, & ſic ſuppuratio alicujus partis oriatur, quæ ſemper nomen ſortitur ab ea parte in qua hoc pus collectum hæret: vel ſi hæc materies induratur, fit Steathoma, Scirrus &c: qui exulceratus fit Cancer; vel ſi pure educto, exeſa cavitas ſemper materiam lympidam

dam

dam ſtillat, dicetur fiſtula. cujus generis mala omnia partibus affectis cognitis, cognoſcuntur facile.

2°. *Vitium ſenſim natum*; quando acredo aliqua ſive ſit alcalina, ſive acida, ſive muriatica, &c. vitio ſex rerum non naturalium in corpus recipiatur, & inde organa & actiones cap. 1. §. 6. vitiantur, tunc ſenſim in uno vel alio viſcere aliquod vitium debet contrahi. Sic inde in hepate oritur vaſorum obſtructio à ſanguine ibi accumelato, craſſo, ſtagnante, tunc liquidius facile ſecedit à craſſiore, vaſa lymphatica, utpote tunc turgida, ſuum liquidum venis ſui generis impellere inertia facta, tandem illud in membrana pinguedinoſa, imo ipſo omento, loco pinguedinis, deponunt, eorum folliculos extendunt, intumeſcit abdomen totuſqe panniculus adipoſus, & dicitur hydrops Anaſarca, tandem vas aliquod rumpitur, liquidum deſtillat V: G: in abdomen, & fit hydrops Aſcites, & ſic omnium hydropum genera per Anatomen poſſunt explicari; qui à loco in quo ſerum collectum eſt & remoratur, nomen accipiunt. Porro depravatur tota maſſa ſanguinea, ſolida non nutriuntur, & corpus fit cachecticum. Qua methodo omnes morbi chronici ut Scorbutus, Phtiſis, Dyſenteria, &c: facile explicantur; Anatomes vero imperitus non multum ſinceri de illis prognoſticabitur, propterea ſupervacaneum exiſtimo plures pro exemplo adducere.

CAPUT. TERTIUM.

Quid valeat ANATOMIA *in* Semeotica.

§. 1. Morbos certis ſignis ſe manifeſtare, eaque ad uſum vocare, non parvi momenti eſſe in cognoſcendo & curando morbo, cum deprehenderint Medici, ex illis tertiam Medicinæ partem conſtituere, quam vocavare Semeoticam à σημείοω ſignifico, ſive ſigna exhibeo.

§. Notum eſt ſigna vulgo dividi in ſannitatis, morbi, mortis; hæc iterum eſſe vel διαγνοστικα, quæ præſentem; vel προγνοστικα quæ futurum; vel ἀναμνειστικα quæ præteritum hominis ſtatum deſi-

deſignant. Signa ſanitatis ex phyſiologicis putem eſſe manifeſta, quando nempe actiones omnes facile, æqualiter & jucundæ peraguntur; ſicut autem ipſa ſanitas ſine *Anatome* cognoſci non potuit, ſic putem ejus ſigna eidem eſſe ſubjecta. Nec invitias ibit quis ſigna morbi per ipſam hanc artem faciliori negotio poſſe deprehendi quam per operoſas obſervationes, dum conſideraverit hæc ſemper eſſe effectus morbi; morbum, effectum partium læſarum; & partes non ſine *Anatome* ergò nec morbus, ergo nec ſigna ſine ea cognoſcuntur, ſive ſint παθογνόμικα, i: e: quæ ſemper concomitantur ipſum morbum & ab eo inſeperabilia ſunt; ſive ἐπιγνομὲνα i: e: quæ ab ipſo morbo ab & adeſſe poſſunt; ſic eſt pulſus magnus pathognomicum ſignum febris cujuſcumque, reliqua vero ut calor, ſitis, frigus, horror &c: ſunt επιγνομένα; quia non ſemper in ipſa febre deprehenduntur.

§. 3. Exemplo uno vel alio res erit plana accerſeris v: g: ad ægrum corpore robuſto, athletico, compactoque præditum, conquerentem de laſſitudine, inquietudine, febre, calore, dolore tenſitivo in uno alterove latere &c: Judicabis ſtatim hunc hominem cras vel paulo poſt laboraturum pleuritide, juxta *aph:* 39. Sect: IV. *in quacunque corporis parte calor ineſt & frigus ibi morbus eſt.*

Quamvis ipſe æger vitium à quo ſibi malum hoc contraxerit, neſciat, dummodo ex Anatomicis ſciveris: coſtis ſuperextenſam eſſe membranam fortem, multis arteriis, venis & nervis refertam, *Pleura* vocatam; hanc admodum eſſe pronam in ſuis vaſculis quandam ſuſcipere acredinem, ex qua oriatur ſtimulus & inflammatio, vel in ipſa hac ab aliqua viſciditate, ut & à nimio ſanguine infarcto, vel frigore, vel contuſione quadam oriri obſtructionem in capillaribus, quæ, tunc per ſe ſatis extenſâ magis adhuc extendi dolorque acutiſſimus punctorius in ea creari debet; & quoniam certum eſt vaſa conſtare ex fibris, fibras ex nervis, nervos connectionem habere cum multis aliis partibus imprimis ſenſorio communi, facile prævidebis omnia hujus ſymtomata; ut reſpirationem difficilem, capitis dolorem, ſitim, inquietudinem, pervigilias, &c. & ſic dabis *ſigna prognoſtica* ſola Anatomia duce. Altero die enim rediuns, deprehendes calo-

rem

296.

rem & febrem aucta, reſpirationem difficiliorem, tuſſim ſiccam, dolorem tenſitivum mutatum in punctorium; & dicis apodictice homo hic laborat pleuritide, dolor enim lateris ab hoc morbo abeſſe non poteſt, ergo eſt ejus ſignum pothognomicum, & ſic præſtitiſti tuam *diagnoſin.* Iterum ex ipſa ægroti conſtitutione, utpote qui ſupponitur corpore eſſe compacto, fibras rigidas fortes habens; prædixeris hunc morbum acutiſſimum eſſe, & adſcenſurum ad quartum diem; & ſi æger tunc manet ſalvus, ſeptimo die expectas criſin, quartus enim ſeptimorum eſt index juxta *Aph*: 24. *ſect*: 11. quæ ſi non fit, expectas iterum undecimum diem & promittis criſin die decimo quarto juxta eundum aphoriſmum, aut mortem. Si vero ſupervixerit has dies ſine notabili evacuatione critica facta, expectas ſuppurationem juxta *Aph*: 8. *ſect*: v. *Qui pleuritici facti non repurgantur ſuperne in* 14. *diebus*, *his in ſupurationem converti*: ſi tunc horror ſine febre recurrit, palpitatio fiat in quodam loco ſingulari V: G: pectore, tunc prædixeris eruptionem puris, & quoniam ut Anatomicus ſcis Thoracis cavitatem per diaphragma eſſe diſtinctam ab abdomine, pleuramque hanc undique inveſtire, ejus collectionem in ipſo thorace metuis, futurumque Empiema, quia huic nullus exitus à natura eſt conceſſus, ſin vero hoc ita non fiat, & ſubſequatur tuſſis moleſta, ſicca, mox humida; judicabis facile, qui novis quam probe pulmo adjacet pleuræ, huic ille eſt concretus & in ipſo materia eſt collecta, ex quo prævides vel vomicam vel diram peripneumoniam juxta *Aph*: 8: *ſect*. VII. *a pluritide ad peripneumoniam malum.* Quæ ſi non reſolvitur, nec ruptâ vomicâ per tuſſim pus ejiciatur, quid melius quam phtiſin, tabem, hydropem & infinitos morbos chronicos expectare poteris, qui noſti ex Anatomia uſum pulmonis in ſanguine, & uſum ſauguinis pro nutritione. Et revera ſi omnia prædicta divi Hippocrates perſpicio, nullum ſane ſine cognitione Anatomica explicare nec intelligere auderem.

§. 4. Fateor quidem eſſe quædam ſigna cauſarum, ut acredinum, quæ ab Anatomico non æque feliciter ac à Chemico & Phyſico deprehenduntur, verum quoniam omnes hæ acredines ut cauſæ morborum, ſemper ſe melius manifeſtent quatenus

D ſo-

lida afficiuntur, in illis enim debet fieri fibrarum extenſio, ex qua dolor, qui non ſine morbo nec morbus ſine illo concipi poteſt; ergo earum effectus ſemper primum Anatomico innoteſcunt, qui hos ſua arte innixus facile curabit; licet neſciat à quonam acredinum genere proveniant. V: G: quidam contraxerit in ventriculo acredinem acidam, hic edet ructus acidos, ſapor ejus erit acidus, orieturque convulſio ventriculi; hic Chemicus facile cognoſcet hanc acidam acredinem, eamque alcalicis eſſe dominandam, verum de ſpaſmo ne cogitare quidem poteſt, dum modo ab eo non requiritur ſcire, anne ventriculus in ſtatu ſano etiam debeat eſſe talis ac nunc eſt in ſpaſmodico; Anatomicus contra hujus ſtructuræ intime gnarus uno intuitu cognoſcit hunc ſpaſmum, & judicat: ab hoc ventriculi orificia utraque ſunt clauſa, hinc flatus in illo collecti rareſcunt, illum magis expandunt, qui ab hac acredine inquinantur, & qua data porta eructant, ideoque nunc non ſollicitus eſt de acredine corrigenda, ſed de ſpaſmo tollendo; hæc enim poteſt educi illo remanente; propterea ingerit tantum copiam aquæ tepidæ, diluit id quod ſpaſmum creat, infringit ejuſdem vim, fovet eo ipſo ventriculum & tollit ſpaſmum atque ſic habet ſua *ſigna diagnoſtica*, nempe ſcit partem affectam, ſcit morbum, ſcit cauſam. De *prognoſtico* plane non erit ſollicitus nam ſtatim ac ſi ille ſpaſmus non tollitur prævidet illico, digeſtionem & chylificationem non rite proceſſuras, appetitum fore minorem, & chylo crudo vaſa lactea non ingrediente, fore ut oriatur cachexia, Phtiſis, Lienteria, & qui infiniti ſunt hujus commatis morbi, quod vero Chemicus utpote connectionis harum partium imperitus neutiquam præſtiterit.

CAPUT QUARTUM.

Quouſque ANATOMIA *ſe extendat in* ὑγιείνῃ.

§. I. Quando actiones humani corporis omnes æqualiter, conſtanti tenore, facile & ſine dolore fiunt. i. e. homo

homo perfecta ſanitate gaudet, tunc non ſolum à ſex rebus ſic dictis non naturalibus lædi, ſed etiam illam ipſam ſanitatem corpus deſtruere poſſe, etiamſi in illis nullum vitium commiſſum fuerit, docuit Phyſiologia. Utrumque ut præcaveatur iterum ſingulari diſciplina cauti fuere Medici, cui indidere nomen ὑγιείνη ab ὑγιείνω bene valeo, quaſi artem quæ valetudinem conſervare, vel bene valere doceat. Ideoque tribus promiſſis ſe obſtrinxerunt hominibus, nempe: (α) ſanitatem præſentem conſervare (β) morbos præcavere (γ) hominem ad longævitatem perducere. Quid in quolibet valeat *Anatomia* noſtrum erit demonſtrare.

§. 2. Ut primum præſtent: putem illis non ſufficere hominis ἰδιοσυνκρασίαν i. e. propriam diateſin ejus noſce, neque conducentia & nocentia in 6. rebus non naturalibus obſervaſſe, verum etiam ſciſſe cui parti corporis hæ præciſe conducant vel noceant poteſt enim quid ingeri quod huic parti ſit ſaluberrimum alteri vero venenum; ſic aër humidus humectat quidem pulmonem natura ſiccum, contra vero ventriculum natura humidum debilitat, hinc corrigitur quidem reſpiratio, digeſtio vero corrumpitur; qui autum utrumque viſcus noverit utrique facile medelam faciet ut conſervetur ſanum. Idem judicium facito de omnibus ingeſtis.

Parem difficultatem parere poteſt inſcitia Anatomica, 2°. in morbis præcavendis; dum enim interdum timent ne oriatur obſtructio V: G: in inteſtinis, hanc præcavere purgantibus ſtudent, quæ inteſtina adeo irritare & debilitare poſſunt, ut oriatur non ſolum hypercatarſis, dyſenteriæ variæ, cholera &c. ſed & à laxato & irritato nimis ſimul ſtomacho lienteria, variique morbi alii. Quod autem ſine negotio evitat, dando ſolummodo emollientia, injiciendo clyſmata mollia, &c: qui novit ventriculum eſſe continuum ductum cum omnibus inteſtinis, utraque habere membranas quinque, quas inter undique glandulæ jacent reconditæ, quæ nimis irritatæ ſuccum ſuum excernere totumque corpus humoribus exhaurire valent.

Sic 3°. multo præſtantior erit Anatomia quam non ea exercitatus Medicus in præſcribenda diæta pro longævitate, quippe qui hoc modo didicit: quod ſicut corpora ſenilia externe appa-

reant arida, rigida, dura, ita ſe etiam habeant interna viſcera omnia; deprehendunt enim membranas abire in ligamenta, ligamenta in cartilagines, cartilagines in oſſa, oſſa tandem adeo exſucca, & dura fieri, ut vitri ad inſtar ſint fragilia, arterias cartilagineas imo oſſeas evadere; tot vaſcula minima concreſcere in unum vas magnum, hoc tunc debito plus agere in ſuum liquidum contentum, ex illo diſſipare liquidiſſimum, vel tandem præ rigiditate ineptum fieri reagere in illud liquidum, ſicque totum corpus rigeſcere, motum liquidorum ſiſti, neceſſariamque mortem ſimilem ſubſequi; quam vero adhibitis interdum fomentis, balneis; dando emollientia, victum humidum ſed validum præſcribendo &c. eleganter producit Anatomicus, ubi contra harum rerum imperitus Medicus miſere hæret. Sin vero corpus natura laxum deprehendat, adhibet contra roborantia, ne vaſa, elaſticitate perdita, in ſua liquida agere impotentia reddantur, & ſic præmature obiat homo, vel varios tumores hic inde cocipiat, vel liquida extravaſentur, vel ſtagnantes humores putrefiant.

§. 3. Quid mirum, ſi ipſam ἰδιοσυγκρασίαν ſive ſingularem temperiem cujuſcunque hominis ex ipſo hoc fundamento noverit, quum præter hunc nullus (α) externam figuram externumque corporis habitum melius conſiderabit (β) nemo juxta hæc ſitum, connexionem, vim & uſum partium melius æſtimabit ac idem ille; quanti autem hæc noſce uſus ſit in dignoſcendis temperamentis patet conſideranti, ea omnia initi fundamento Rigiditatis & Laxitatis fibrarum, vaſorum ex his compoſitorum, & viſcerum his mirabiliter contextorum; quomodo enim ſe habent ſolida, ſic ſe habent fluida & vice verſa; & quomodo ſe habent utraque ſic ſe habet homo; & dummodo æquilibrium ſit inter ambo[redacted] & moveantur, hic poterit vivere ſanus.

1°. *Ad Rigiditatem:* ut pote quæ ſupponit ſolida fortiora & robuſtiora, jure merito referre poſſumus: temperamentum Calidum; & quemadmodum calor ſemper facit ſiccitatem, huic aſſociamus hinc & ſiccum; ex hoc non poteſt non quin proveniat Sanguineum; quoniam liquidioribus particulis à calore diſſipatis, rubra maſſa ſanguinea magis apparet, ex qua aduſta & acrior facta neceſſario provenire debet Bilioſum & ipſum Melancholi-

cum

cum temperamentum; hinc etiam his ultimis prædititi æque deprehenduntur robuſtioris & ſtrictoris eſſe habitus, ac piori-bus tribus.

2°. *Laxitas*: utpote rigiditati contraria, neceſſario etiam contrarios effectus edere, contrariaque temperamenta producere debet, ut loco calidi Frigidum; pro ſicco Humidum; pro ſanguineo Phlegmaticum &c: quæ etiam cognoſcuntur ex flacciditate & pinguitate corporis, quæ ſunt totidem ſigna motus tardioris, ideoque hic liquida non adeo à ſolidis condenſantur, ſed accumulata in ſe ipſis coagulantur & ſolida ejuſdem faciunt indolis.

§. 4. Ideoque non injuriâ veteres artem Anatomiam adeo frequenti habuere in uſu ut liberos á juventute in hac omnes exercerent; teſte *Galeno*. Siquidem unus quiſque hac duce unico quaſi oculo propriam ſuam naturam poteſt cognoſcere, ſanitatem conſervare, προφυλάξιν, neceſſitate urgente, ſibi eligere, vitamque ſeros protrahere in annos ut paſſim hiſtoriæ docent. Pone hominem perfecte ſanum ſuæ vitæ rationem optime habentem, quotidianos labores optime exercentem, in ſex rebus non naturalius non peccantem; huic quandoque contingat ut conſuetis laboribus vacare debeat, aliiſque negotiis impeditus juſto tempore cibum capere non poſſit; hic ſentiet ructus, nauſeam, borborigmos, &c. nonne hic ſtatim ſciverit quid faciendum ſibi ſit pro προφυλάξι ne ægrotet? dummodo ex Phyſiologicis hoc eſt Anatomicis edoctus fuerit: ventriculum eſſe ſaccum cavum, amplum, cibos recipientem & emittentem, quinque tunicis conſtantem; has ſudare ſuccum ſic dictum gaſtricum in hunc nunc vacuum, latera ejus venire ad mutuum contactum, nominatum ſuccum ob remoram fieri acriorem, creare ſtimulum perpetuum, uno hauſtu potus paulo meracioris pro tempore ſedandum; quippe qui & latera ejus à mutuo contactu prohibeat, ſuccum Gaſtricum nunc acrem diluat, & ſic morbum forte inevitabilem præcaveat. ſex rerum non naturalium omnium injurias evitabit, dummodo ex antecedentibus didicerit quid quælibet agat in corpus.

teria medica quale adhibendum ſit cognito medicamento; reſtat demonſtrare: quare à Medico porro requiratur ut *Anatomicus* ſit, ſi quatuor ſcopos § 2. ad rectam remedii adminiſtrationem neceſſarios attingere velit.

α. Quantnm: ſic V: G: ventriculus nimium repletus evacuatur feliciter vomitorio dato, poteſt tamen hoc interim tam magna doſi dari ut hic adeo ſollicitetur ut hypercatharſis peſſima oriatur, imo æger cum in geſtis animam evomat, quod vero commode evitatur ſtructura ventriculi per Anatomen cognita.

β. Quomodo: ſic aquam in abdomine collectam fortibus purgantibus tentant educere multi, miſeriſque cruciatibus imo ipſa morte ægros afficiendo, quod vero *Anatamicus*, ſtructuræ abdominis & huic incluſorum inteſtinorum gnarus, nempe ex illo in hæc, & contra, nullum ſine præſenti periculo vitæ aditum patere, nullo alio modo quam Paracentheſi artificioſa fieri poſſe, prævidet facile.

γ. Quamdo: Ita novit *Anatomicus* melius ſuæ artis imperito Medico, quod tuſſim moventia & expectorantia conveniant quidem in pulmonis vomica, nihil vero illa proficere hac in Empyemate jam degenerata, conſiderans modo: materiam hic diaphragmati incumbentem reſpirationem impedire, pulmonem ab hac vomica, ejuſque prægreſſa peripneumonia debiliorem multo factam, motum adeo validum non poſſe edere ut materiam hanc attenuet, reſorbeat, perque aſperam arteriam ejiciat.

δ. Ubi: hic ſcopus nullam habet difficultatem quin *Anatome* ſola innoteſcat, denotat enim præciſe affectum locum; cujuſque ignoratio quantos in medendi methodo producat errores quotidiana docent exempla triſtia ut his inhærere ſupervacaneum foret.

§. ſ. Ne mirere B: L: in hac diſſertatione nunc propoſitum finem aſſecuta, nullam mentionem factam eſſe Chyrurgiæ ut Medicinæ externæ, neglexi enim illam præ ſtudio, qnoniam non ſolum peculiarem diſſertationem exigere, verum etiam quoniam certitudo rei me actum agere demonſtrare potuiſſet; quum unicuique Chyrurgo perito plus ſatis notum ſit, nec hanc ſine illa, nec illam ſine hac exerceri poſſe.

Et

Et ſic L. B: conatibus hiſce tenuibus tibi voluntatem meam probare volui conſiderationem tuam humaniſſime expetens: *In maximis etiam voluiſſe ſat eſſe.*

FINIS.

ANNEXA.

Ex Phyſiologia.

1. *Fermentationem in ventriculo inchoari probabile, abſolvi vero impoſſibile eſt.*
2. *Ergo doctrina de defæcatione chyli nullum in Medicina uſum habere videtur.*
3. *Inter maſticandum multas ſubtiliſſimas particulas ex cibis in ore poſſe abſorberi ex quibus nutriatur homo, rationi non abſonum eſt.*
4. *Ergo Undique in corpore vaſa reſorbentia dari credibile eſt.*
5. *Bilem ex ductu communi, per ductum cyſticum in veſiculam felleam regurgitare contrariatur ſitui & ſtructræ horum.*
6. *Ergo bilis per porum biliarium ad Duodenum Inteſtinum pergens non eſt materies amaritiei bilis cyſticæ.*

Ex Pathologia.

1. *Omnis morbi cauſa proxima ſemper eſt materialis.*
2. *Cauſarum effecta non innoteſcunt ut morbi antequam ſolida corporis ſint deſtructa vel vitiata.*
3. *Frigus & calorem quoſdam morbos ſimiles poſſe producere credo.*
4. *Morbos externos Medicus noſcat neceſſe eſt antequam de internis quidquam judicare ſatagit.*
5. *Ergo hic Chirurgus ad minimum Theoreticus eſſe debet.*

Ex Semeotica.

1. *Signa temperamentorum veterum ſunt quidem profi-*

cua

cua in re medica, plerumque vero nihil juvant Medicum ſine cognitione ſtricti & laxi.

2. *Morborum ſigna ſine ſignis ſanitatis perfecta haberi non poſſunt.*

3. *Spaſmus & omnes inde provenientes morbi poſſunt æque eſſe ſigna humorum defectus quam eorum abundantiæ.*

Ex Hychieine.

1. *Nimis ſollicita prophylaxis ſæpiſſime creat morbos.*
2. *Per Diætam interim vitam prolongari poſſe quis non crediderit?*
3. *Natura cibi convenire debet cum corpore cui ingerendus eſt.*
4. *Otium plures morbos producere quam negotium clariſſimum eſt.*

Ex Therapeutica.

1. *Medicamentorum applicatio ſine cognitione Anathomiæ tute fieri non poteſt.*
2. *Medicamantum ſpecificum generale non datur.*
3. *Cardiaca ſic dicta calida non in omni debilitate conveniunt.*
4. *Ut natura ciborum ſic natura medicamentorum corpori ſit conveniens neceſſe eſt.*
5. *Non raro enim experimur medicamentum huic eſſe ſaluberrimum quod alteri contra eſt venenum.*
6. *Sunt interim irrita in re medica omnia* Anatome *non ducente, Hac vero ducente, nihil deſperandum.*